

revertaris, et feliciter regnes. Post hæc verba ²⁴experrectus rex senatui congregato hanc ²⁵enarrat visionem; qua confortati omnes, totus populus promittit se post reversionem de bello crediturum et ²⁶baptismum suscepturum: nam usque in id temporis tota illa Saxonia gentilitatis et ignorantiae tenebris obscurata erat, excepto ipso rege Ossualdo, cum duodecim viris, qui cum eo Scotos inter ²⁷exulante ²⁸baptizati sunt. Quid plura? eadem subsecuta nocte Ossualdus rex, sicuti in visu edoctus fuerat, de castris ad bellum, cum admodum pauciore exercitu, contra ²⁹millia numerosa progreditur; cui a Domino, sicut ei promissum est, felix et facilis est concessa victoria, et rege trucidato ³⁰Catlone, victor post ³¹bellum reversus, postea totius Britanniae imperator a Deo ordinatus est. Hanc mihi ³²Adamnано narrationem meus decessor, noster abbas Failbeus, indubitanter enarravit, qui se ab ore ipsius Ossualdi regis, Segineo abbati eadem enuntiantis visionem, audisse protestatus est.

Sed et hoc etiam non prætereundum videtur, quod ejusdem beati viri per quaedam Scoticae ³³linguae ³⁴laudum ipsius carmina, et nominis ³⁵commemorationem, quidam, quamlibet scelerati laicae conversationis homines et sanguinarij, ea nocte qua eadem decantaverant cantica, de manibus ³⁶inimicorum qui eadem eorumdem cantorum domum circumsteterant sint liberati; qui flammam inter et gladios et lanceas incolumes evasere, mirumque in modum pauci ex ipsis, qui easdem sancti viri ³⁷commemorationes, quasi parvi pendentes, canere ³⁸noluerant decantationes, in illo æmulum impetu soli desperierant. Hujus miraculi testes non duo aut tres, juxta legem, sed etiam centeni, et eo amplius, adhiberi potuere. Non tantum in uno, aut loco, aut tempore, hoc idem ³⁹contigisse comprobatur, sed etiam diversis locis et temporibus in Scotia et in Britannia, simili tamen et modo et causa liberationis, factum fuisse, sine ulla ambiguitate exploratum est. Hæc ab expertis uniuscujusque regionis, ubicumque res eadem simili ⁴⁰contigit miraculo indubitanter didicimus.

Sed, ut ad ⁴¹propositum redeamus, inter ea miracula quæ idem vir Domini, in carne mortali conversans, Deo donante,

²⁴ prius expergitus in A.

²⁵ enarravit Colg. Boll.

²⁶ bap-tismum A. baptisma Ford.

²⁷ exsolante A. exulantes Ford.

²⁸ bap-tizati A. ²⁹ milia A.

³⁰ Cathone Boll. Cadwallone Ford.

³¹ bella Ford. ³² Ford. Adomnано A.

³³ lingæ A.

³⁴ laudem Colg. carmina laudem ipsius Boll.

³⁵ commendationem Colg. Boll.

³⁶ om. Colg. eorum Boll.

³⁷ commemorationis A.

³⁸ noluerunt Colg. Bolg.

³⁹ contigisse conprobatur A.

⁴⁰ contegit.

⁴¹ propositum A.

⁴²perfecerat, ab annis juvenilibus cœpit etiam prophetiæ spiritu pollere, ventura prædicere, præsentibus absentia nuntiare; quia quamvis absens corpore, præsens tamen spiritu, longe acta ⁴³pervidere poterat. Nam, juxta Pauli vocem, Qui adhæret Domino unus spiritus est. Unde et idem vir Domini sanctus Columba, sicut et ipse quibusdam paucis fratribus, de re eadem aliquando percunctantibus, non negavit, in aliquantis dialis gratiæ speculationibus totum etiam mundum, veluti uno solis radio collectum, sinu mentis mirabiliter laxato, manifestatum perspiciens speculabatur.

Hæc de sancti viri hic ideo enarrata sunt virtutibus, ut avidior lector breviter perscripta, quasi dulciores quasdam prægustet dapes: quæ tamen plenius in tribus inferius libris, Domino auxiliante, enarrabuntur. Nunc mihi non indecenter videtur, beati viri, licet præpostero ordine, prophetationes effari, quas de sanctis quibusdam et illustribus viris, diversis prolocutus est temporibus.

¹De Sancto Finteno, abbate, filio Tailchani.

CAP. II.

SANCTUS ²Fintenus, qui postea per universas Scotorum ecclesias valde ³noscibilis habitus est, a puerili ætate integritatem carnis et animæ, Deo adjuvante, custodiens, studiis ⁴dialis ⁵sophias deditus, hoc propositum, in annis ⁶juventutis conversatus, in corde habuit, ut nostrum sanctum Columbam, ⁷Hiberniam deserens, peregrinaturus adiret. Eodem æstuans desiderio, ad quemdam vadit seniore sibi amicum, in sua gente prudentissimum venerandumque clericum, qui Scotice ⁸vocitabatur ⁹Columb Crag, ut ab eo, quasi prudente, aliquod audiret consilium. Cui cum ¹⁰suos tales denudaret ¹¹cogitatus, hoc ab eo responsum ¹²accepit: Tuum, ut æstimo, ¹³a Deo inspiratum devotumque desiderium quis prohibere potest, ne ad sanctum Columbam ¹⁴transnavigare|¹⁴debeas? ¹⁵Eadem hora casu duo adveniunt monachi sancti Columbæ, qui de sua interrogati ambulatione, Nuper, aiunt, de Britannia remigantes, hodie a

⁴² perfecerat A.

⁴³ prævidere Colg. Boll.

¹ *titulus desideratur* in C. D. S. F. Boll.

² finntanus D.

³ nocibilis D.

⁴ A. D. F. S. dialecticalis C.

⁵ sofiat A. F. S. sophie D.

⁶ juventatis A.

⁷ C. D. F. S. heverniam A.

⁸ dicitur D.

⁹ colliū crāg A. Columba Cragius *O'Donnellus in Vit. S. Columbæ*, iii. 65, *vertente Colg. columbus (crag. om).* C. D. F. S.

¹⁰ suas D.

¹¹ cogitationes D.

¹² accipit A.

¹³ adeo C.

¹⁴ adeas D.

¹⁵ *omnia desunt usque ad idem sanctus, cap. 3 D.*

De Cyro.[recensere]

Post mortem Darii Medi, Cyrus monarchiam tenuit Orientis, cujus sedem posuit apud Persas; licet regnum Medorum majus esset et honorabilius, eo quod Persae eum sublimaverant in regem. Iste fuit nepos Darii ex sorore, nepos vero Astyagis ex filia. Porro Astyages unicam habuit filiam, et vidit somnium, quod de genitalibus filiae oriebatur vitis, quae totam occupabat Asiam, et accepit a convectoribus se habiturum nepotem ex filia, qui dominus esset Asiae, et ipsum dejiceret a regno. Quod timens dedit filiam suam uxorem militi plebeio, ne filius ex ea nasceretur nobilis et potens. Praeterea filiam praegnantem ascivit, et natum ex ea filium, cuidam participi arcanorum tradidit occidendum. Qui credens regnum transiturum ad filiam suam, filium ejus veritus est occidere, et uni de pastoribus regis tradidit parvulum exponendum in nemore. Qui cum exposuisset eum, et id indicasset uxori, quae in diebus illis pepererat, supplicavit ei mulier, ut parvulum deferret ei alendum, et proprium filium pro eo exponeret. Cumque redisset pastor ad puerum, invenit Canem praebentem ei ubera, et a feris et avibus defendentem. Cumque tulisset eum ad uxorem allusit ei tanquam diu notae, vocavitque puerum Sparticum, id est catulum. Spartos enim Persica canem sonat. Qui cum esset grandiusculus, a pueris ludentibus factus est rex eorum, et contumaces et inobedientes sibi graviter affligebat. Quod graviter ferentes patres eorum, verbum detulerunt ad regem de filio pastoris. Quem cum advocasset rex, et argueret eum quod pueros plagasset, ille intrepidus se ut regem fecisse respondit. Et admiratus rex, et quaedam signa generis sui in eo esse deprehendens, ascito pastore secretius veritatem rei agnovit. Verumtamen timor ejus de nepote mitigatus est, aestimans quod verbum convectorum de regno impletum esset in regno puerorum, et eidem cui prius commiserat occidendum, commisit alendum, non indicans tamen esse nisi pastoris filium. Filium quidem illius secretarii sui clanculo dedit patri ad comedendum, quia non obedierat ori ejus, et post id ipsum indicavit ei. Factum est autem ut Astyages traderet exercitum illi secretario, ad hostes expugnandos, ipse vero recedit in Media. Porro ille non immemor maleficii regis persuasit exercitui, ut Spartacum regem Persidis sibi eligerent, et cognominavit eum Cyrum, quod interpretatur haeres. Quasi dicat: Licet reluctetur Astyages, hic est haeres. Quo facto, timens Astyages Darium consobrinum adoptavit sibi in filium, et collecto exercitu congressus est adversus Cyrum, et fugerunt Persae. Uxores autem eorum, et matres egressae ad eos, et detectis posterioribus suis aiebant: *Vultisne introire in uteros matrum, et renasci*. Hoc pudore excitati Persae, acriter redierunt in hostes, et victus est Astyages. Cyrus autem magis exhibuit se illi nepotem quam victorem: nam regnum Hircanorum concessit ei. Dario vero, tanquam fratri matris suae, tradidit regnum Medorum, tamen sub certa spe revertendi ad ipsum.

De licentia redeundi data Judaeis.[recensere]

Itaque cum universum regnum devolutum esset ad eum, in hujus regni anno primo suscitavit Dominus spiritum ejus, ut impleretur verbum Jeremiae (I Esdr. I, II; II Paral. XXXVI; Jer. XXIX; Isa. XLV). Et dedit libertatem omnibus Judaeis, qui erant in universo regno suo, et licentiam redeundi in Judaeam, et aedificandi domum Domini. Excitatus autem fuit ex verbis Isaiae, qui ante ducentos et decem annos scripserat de ipso Dominum dicentem: Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, subjiciam ei gentes, et regna. Ipse reaedificabit domum meam in Jerusalem (Isa. XLV). Ut ergo hanc munificam scripturam impleret, et scripturam libertatis et licentiae traduxit in universum regnum suum, dicens: *Omnia regna terrae dedit mihi Dominus Deus coeli, credo hunc esse quem gens Israel adorabat*. In hac epistola hortatus est etiam Judaeos ut ascenderent in Judaeam, et qui nollent ascendere, juvarent ascendentes in pecunia, vestibibus et jumentis. Porro clarissimi Judaeorum habitabant in Babylonia, id est in terra Babylonis eversae. Babylon enim proprie nomen est civitatis, Babylonia vero nomen regionis, licet unum pro altero saepe legatur. Inter eos Zacharias natus in Chaldaea jam prophetabat. Hic benedixit Salathiel in filio, vocans eum Zorobabel, quod interpretatur magister Babylonis. Quasi dicat: Hic erit magister captivitatis Babylonicae. Ad hujus prophetae exhortationem primi surrexerunt viri Juda, ut ascenderent in Jerusalem, postea vero viri Benjamin et Levitae. Propterea, ut dicit Josephus, a Juda cognominati sunt Judaei. Hujus enim nominis plures fuerunt causae; super turrim Babel legitur, quod a Dedam, qui cognominatus est Judas, dicti sunt Judaei; alibi quod a

Juda filio Jacob; alibi quod a Juda Machabaeo. Porro ascensuri in Jerusalem, vel in Judaeam alios hortabantur, sed paucos invenerunt, qui assentirent eis, et propterea tam in exhortationem quam in apparatu, tres annos compleverunt. Igitur in tertio anno Cyri regressi sunt sub Zorobabel duce, et Jesu magno sacerdote, adhortantibus eos Zacharia propheta, et Aggaeo juvene, sed nondum propheta. Erant autem circiter quinquaginta millia. Fuerunt enim de Judaeis quadraginta duo milia, et quadringenti et sexaginta. Reliqui vero erant servi, et ancillae et homines generis promiscui. Et remisit cum eis Cyrus partem vasorum Domini quinque millia, et quadraginta, inter quae ponit Josephus refrigeratoria, quorum usum non legi. Ascenderunt etiam quidam cum eis, dicentes se esse de genere sacerdotum propter emolumentum. Cumque quaerent scripturam genealogiae suae, et non invenirent, recepti sunt in Israel, sed ejecti sunt a sacerdotio, reversi sunt in Jerusalem, et in civitates Judae.

bis notas faceret vias vitæ, et nos adimpleret gaudii, lætitiæ et exultatione : templum Domini corroboravit, et ejus aditum instar lucernæ non sub modio, sed supra candelabrum in Domini aula positæ, dominico irriguo rore plenissime fecundatæ, posteris omnibus suorum verborum præ cæteris elegantia singulari, excellentius omnibus aliis patefecit : ut irent in civitatem habitationis, et locum gloriæ invenirent : et ne fierent velut priores eorum, genus perianarum, quos dixerit, et liberavit ab errorum perditione.

CAP. III. Cum enim sim sicut stipula ante faciementi, et sicut lutum platearum balbutiens, loqui nesciens, nec verba plene formare valens : quid impertiar vobis, carissimi patres et domini, suæ laudis? Nempe juxta illud Apostoli : *Si linguis hominum loquerer et Angelorum, suum laudandi genus necdum attingerem. Idcirco non in arcu meo sperabo : nec gladius meus salvabit me ; sed Dominus erit illuminatio mea. Qui docuit et docebit manum meam ad scribendum, et dirigit linguam meam ad loquendum, ut quondam asinæ Balaam. Quoniam ipsius est regnum et imperium, et dominatur a mari usque ad mare : et a flumine usque ad terminos orbis terrarum.* In cujus cuncta sunt posita ditio : coram quo procedent reges : nec est qui suæ possit resistere voluntati. Quoniam omnia quæcumque voluit, fecit, in cælo, terra, mari et in abyssis. Et sic lingua mea tanti viri laudem meditabitur : et nomen suum annuntiabit universis.

CAP. IV. Hic vere fuit Israelita, in quo dolus non fuit : electus secundum cor Domini, ad loquendum, omnia quæ sibi mandaverat Dominus, universis gentibus, et regnis, et doctor datus in gentibus : ut sentes evelleret, destrueret, disperderet et dissiparet : et sapientiam veram seminaret, ædificaret atque plantaret. Illic est fratrum amator : hic est qui populo Christiano tot librorum volumina ex linguis Hebraica et Græca in latinam, non parvo pondere transtulit. Ecclesiæ officium primitivus ordinavit : et totius sacræ Scripturæ aspera fecit plana. Certe in hujus lumine videmus lumen : et pane suæ salutiferæ doctrinæ pasti, ambulamus usque ad montem Dei Oreb. Hic est flumen aquæ vivæ splendidum tanquam crystallus, procedens de sede Dei in medio Ecclesiæ, et ex utraque parte ejus lignum vitæ, afferens fructus tempore suo : cujus folia ligni sunt ad gentium sanitatem. Vir iste in populo suo mitissimus apparuit, et Deo dilectus et hominibus, orat nunc pro Ecclesia sancta. Vas vere admirabile, omni ornatum lapide pretioso, opus excelsi.

CAP. V. Verumtamen de hoc quid plura dicam? cujus enarrant cæli gloriam, et opera scripturarum manuum ejus annuntiat firmamentum? nec sint loquelæ neque sermones, cujus non audiantur doctrinæ verba : cum in omnem terram exiit sonus ejus? O ineffabilis misericordia Salvatoris, quæ tot gratiarum cumulos in Hieronymo adunasti : ut ad ea quæ solus possidet, pene nulli hominum nisi particulariter fas sit aspirare. Hic certe dux nostræ fidei ad se currentes in cæli

contrahit arcem. Hunc præ cæteris potioribus ornatum insignis dignitatum, in cantilenis et proverbii, operationibus et interpretationibus miratæ sunt gentes. Cujus nota facta est in populis virtus : quia impletus fuit quasi flumine sapientia. Sed ut vera dicam, juxta illud Reginæ Sabæ : *Major est enim sapientia et opera sua, quam rumor quem audistis.* Quam certe bonus est iste his qui recto sunt corde : quoniam malitiam semper odit. Fecit enim mirabilia in terra nostra. Sub umbra illius sedimus, et fructus illius dulcis gutturi nostro. Quanta autem de eo audivimus et cognovimus : quomodo annuntiabimus?

CAP. VI. Atque ego quis sum, ut narrem laudem ejus, et virtutes ejus, et mirabilia quæ fecit? Sed quoniam non sum eloquens ab heri et nudius tertius, ut breviter dicam, si vultis accipere, Joannes Baptista ipse est : uterque virgo, uterque eremita. De Joanne dicitur : *Erat Joannes vestitus pilis camelorum in deserto. De se idem Hieronymus dicit : Horrebant sacco membra deformia, et squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduserat. De Joanne iterum : Locustas et mel sylvestre edebat. De se iterum Hieronymus dicit : De cibis et potu taceo : cum etiam languentes monachi aqua frigida utantur, et coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Quid plura? Ille propter justitiam martyr : iste vero etsi ejus spiritum materiale ferrum non abstulit, tamen martyrii præmii non est expertus. Duplex namque martyrium est. Unum, succumbere gladiis impiorum : alterum, in infirmitatibus et adversitatibus in animo patientiam custodire.*

CAP. VII. Certe hic est martyr, qui propter justitiam et mansuetudinem, et salutiferam doctrinam suam verba, in hujus mundi lacrymarum salo, certamen forte a malorum cœtu viriliter supportavit, sciens quoniam omnium fortior est sapientia. Nec impie gessit in conspectu Dei, sed in omnibus tribulationibus suis, invocans Dominum, non peccavit labiis suis : nec stultum aliquid contra Deum locutus est. Taceam namque quot tribulationes, labores, afflictiones, cruciatus, agones, flagella, fames, sitim, amaritudines, tempestates, tentationes, abstinentias, vigiliis, peregrinationes, carnis macerationes, nuditates, jejunia, ærumnas, et non solum hæc, sed graviora et innumerabilia propter Jesu Christi nomen, in suo gloriosissimo perpessus est corpore, ut idem loquitur.

Stabam in eremo constitutus, et in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, monachis horridum, præstat habitaculum, cogitans me Romanis potiri deliciis, quotidie gemitus, quotidie lacrymæ. Et si quando me somnus imminens oppressisset repugnantem, nuda humo viz ossa hærentia collidebam. Horrebant sacco membra deformia, aqua frigida languens utebar, et coctum aliquid accepisse, luxuria erat. Cutis mea propter incommoda squalida, carnis Æthiopicæ situm obduserat : et tamen socius scorpionum tantum ac ferarum, sæpe choris intereram puellarum : et in frigido corpore, etiam præmortuo jam homine, sola libidinum incendia bulliebant. Teste Deo, memini, me diem crebra junxisse cum nocte, nec a pectoris cessasse verberibus.

Gregorius Magnus - *Moralia in Iob* (CPL 1708) SL 143A, lib. : 21, par. : 1,

Ac si aperte fateatur dicens: pacis quidem meae tempore per alios parua more citharae, per alios uero more organi magna et sonora praedicabam, sed nunc in luctum cithara et organum in uocem flentium uersum est, quia dum me contemni conspicio, eos qui praedicationis cantum non audiunt deploro

Haec per quosdam sancta ecclesia in fine factura est, haec per quosdam in suis iam exordiis fecit.

Martyr quippe stephanus iudaeis persequentibus prodesse praedicando conatus est, quos tamen post uerba praedicationis, dum uideret ad iaciendos lapides conuolasse, fixis genibus orabat, dicens: domine iesu, ne statuas illis hoc peccatum.

Quid ergo huic, qui diu et parua et magna narrauerat, nisi iam suae citharae atque organi cantus silebat atque in luctum uersa fuerant, quia eos quos praedicando non traxerat, amando flebat?

Quod nimirum cotidie sancta ecclesia agere non desistit, quae praedicationis uerbum paene ubique conticuisse iam conspicit.

Alii namque loqui dissimulant, alii recta audire contemnunt.

Sed electorum mens dum tacere cantum praedicationis conspicit, gemens ac tacita ad fletus redit.

Dicat ergo: uersa est in luctum cithara mea et organum meum in uocem flentium, quia electus quisque quo sanctae praedicationis uox siluit, eo damna ecclesiae grauius plangit. Hucusque beatus iob descripsit mala quae pertulit, hoc uero ex loco incipit narrare subtilius bona quae fecit.

Sed doloris uerba historica atque allegorica expositione transcurrimus, uirtutum uero opera ex magna parte iuxta solius historiae textum tenemus, ne si hec ad indaganda mysteria trahimus, ueritatem fortasse operis uacuare uideamur.

Intellectus sacri eloquii inter textum et mysterium tanta est libratione pensandus, ut utriusque partis lance moderata, hunc neque nimiae discussionis pondus deprimat, neque rursus torpor incuriae uacuum relinquat.

Multae quippe eius sententiae tanta allegoriarum conceptione sunt grauidae, ut quisquis eas ad solam tenere historiam nititur, earum notitia per suam incuriam priuetur.

Nonnullae uero ita exterioribus praeceptis inseruiunt, ut si quis eas subtilius penetrare desiderat, intus quidem nihil inueniat, sed hoc sibi etiam quod foras loquuntur abscondat.

Vnde bene quoque narratione historica per significationem dicitur: tollens iacob uirgas populeas uirides, et amygdalinas, et ex platanis, ex parte decorticauit eas, detractis que corticibus, in his quae exspoliata fuerant candor apparuit; illa uero quae integra erant uiridia permanserunt atque in hunc modum color effectus est uarius.

tarentur, ita cum lacrimis oraverunt: Nicolae famule Dei, si vera sunt, quae de te audimus, nunc ea experiamur. Mox quidam in ejus similitudinem apparuit dicens: ecce assum! vocastis enim me. Et coepit eos in antennis et rudentibus aliisque juvare navis armamentis; statimque cessavit tempestas. Cum autem ad ejus ecclesiam venissent, quem nunquam ante viderant, sine indice cognoverunt. Tunc Deo et sibi de liberatione gratias egerunt, quod ille divinae misericordiae et eorum fidei, non suis meritis attribuire docuit. — — **4.** Quodam tempore totam provinciam Sancti Nicolai fames valida ¹⁾ perenlit, ita ut omnibus deficerent alimenta. Audiens autem vir Dei naves onustas tritico portui applicasse, illuc statim proficiscitur rogans nautas, ut saltem in centum modis per quamlibet navem fame periclitantibus subvenirent. Cui illi: non audemus, pater, quia mensuratum est Alexandriae, oportet in horrea imperatoris nos reddere. Quibus Sanctus dixit: facite nunc, quod dico et vobis in Dei virtute promitto, quod nullam minorationem habebitis apud regium exactorem. Quod cum fecissent, et eandem mensuram, quam Alexandriae acceperant, reddidissent ministris imperatoris, miraculum referunt et Deum in suo famulo magnifica laude attollunt. Frumentum autem secundum uniuscujusque indigentiam vir Dei distribuit, ita ut miraculose duobus annis non tantum ad victum sufficeret, sed etiam ad usum seminis abundaret. — — — **5.** Cum autem regio illa ydolis deservisset, prae caeteris nefandae Dyanae simulacrum populus coluerat adeo, ut usque ad tempus viri Dei nonnulli rustici praedictae religioni execrabili deservirent ac sub quadam arbore consecrata Dyanae quosdam ritus gentilium exercerent. Ac vir Dei praedictum ritum de omnibus finibus expulit ipsamque arborem praecidi mandavit. Iratus ex hoc contra eum hostis antiquus oleum Mydyaton, quod ²⁾ in naturam in aqua et lapidibus ardet, confecit seque in formam religiosae feminae transfigurans quibusdam ad virum Dei navigantibus in quadam saginula obviavit sicque affata est eos: mallet ad Sanctum Dei venire vobiscum, sed nequeo: rogo ergo vos, ut hoc oleum ad ejus ecclesiam offeratis et ob mei memoriam exinde aulae ejus parietes liniatis, et statim evanuit. Et ecce aliam cernunt naviculam eum honestis personis, inter quos erat simillimus sancto Nicolao, qui sic ait illis: heu quid mulier illa locuta est vobis vel quid attulit? Illi autem

1) Alii legunt. percussit.

2) Recentiores ex glossa legunt contra.

cuncta per ordinem narraverunt. Quibus ille: haec est impudica Dyana, et ut me verum dicere comprobetis, oleum illud in mare projicite. Quibus projicientibus ingens ignis in mari succenditur et contra naturam diutius in mari ardens conspicitur. Venientes igitur ad servum Dei aiebant: vere tu es ille, qui nobis in mari apparuisti et a dyaboli insidiis liberasti. — — **G.** Per idem tempus cum quaedam gens Romano imperio rebellasset, contra eam imperator tres principes Nepotianum, Ursum et Apilionem misit, quos portui Adriatico ob ventum contrarium applicatos beatus Nicolaus ut secum comederent, invitavit, volens ut gentem suam a rapinis compescerent, quas in nudinis exercebant. Interim dum Sanctus abesset, consul corruptus pecunia tres innocentes milites jussit decollari. Quod ut vir sanctus audivit, rogavit principes illos, ut secum illuc usque gradu concito properarent, veniensque ad locum, ubi decollandi erant, invenit eos ¹⁾ poplite flexo et facie jam velata et spiculatorem ensem super eorum capita jam vibrasse. At Nicolaus zelo accensus et in lictorem se audacter ingessit et gladium de ejus manu eminus propulit innocentesque solvens eos incolumes secum duxit. Illico ad praetorium consulis properat et fores clausas vi reserat. Mox illi consul accurrens salutavit eum. Aspernens hoc Sanctus dixit: inimice Dei, legis praevaricator, qua temeritate praesumsisti tanti conscius sceleris vultum aspicere nostrum? Quem postquam plurimum objurgasset, ad preces tamen illorum ducum eum poenitentem benigne recipit. Recepta igitur benedictione imperiales nuntii iter peragunt et ²⁾ impios sine sanguine hostes subdunt redientesque ab imperatore magnifice sunt recepti. Quidam autem eorum felicitatibus invidentes, praefecto imperatoris prece et pretio suggesserunt, ut eos apud imperatorem ³⁾ de laesae majestatis crimine accusaret. Quod cum imperatori suggessisset, ille nimis furore repletus eos incarcerari praecepit ac sine aliqua interrogatione illa eos nocte occidi mandavit. Quod cum a custode ⁴⁾ didicissent, sciderunt vestimenta sua et gemere amare coeperunt. Tunc unus eorum, scilicet Nepotianus, recolens quod beatus Nicolaus tres innocentes liberaverat, exhortatus est alios, ut ejus patrocinia flagitarent. Quibus orationibus sanctus Nicolaus nocte illa Constantino imperatori apparuit dicens: cur illos principes tam injuste com-

1) Alii male: pollice. 2) Recentiores perperam: imperio. 3) Ed. Princ. male legit: dolosae manifestatis crimine. 4) Ed. Princ. male decidissent.